

novasque Narentanorum injurias facile ulcisci possent, vetuit tributum, quod Venetum nomen multos annos, ut tuto oram Dalmaticam sui negociatores navigarent, barbaris miserat, ulterius dari. Narentani ira in Venetos accensi, subito maria infestare incipiunt: verum non contenti maritimis latrociniis, terrestribus etiam expeditionibus vastant Jaderensium fines: ii enim Dalmatarum omnium soli in Venetorum fidem ad eam diem venerant. Sed ea injuria non solum ad eos pervenit, quin & finitimorum populorum res Narentani jam aperte sollicitabant. Quod ipsum quum aliquandiu ægre tulissent, appareretque sua patientia latronum ferociam in dies augeri, rati quod erat, insolentissimam gentem nunquam ab injuria destitutam, nisi eorum conatus quandoque iretur obviam, plerique Dalmatici nominis populi (nam id suis viribus moliri haud tutum credere) ad Venetorum opes confugere: ex Liburnia quoque & Histria venerunt legati, ad hoc unum omnes missi, ut cum Veneto Duce publico nomine agerent: si in Dalmatiam adversus Narentanos valida classe transmitteret, omnemque littoralem oram, cum his qui littoribus proximi sunt, a veteri Narentanorum injuria vendicaret, fore (quod ipsi suorum popularium nomine reciperen^t) ut omne Dalmaticum nomen, quod littus incoleret, cum maritima Liburniæ & Histriæ ora in Venetorum fidem concederet. Legatorum pollicita erexerunt Principis animum, totamque civitatem in spem maximam potiundæ Dalmatiæ. Ne igitur talis occasio e manibusaberetur, continuo valida classis decernitur.

Sed antequam ad ipsius profectionem veniamus, pauca altius de ipsius provinciæ situ sunt a nobis referenda. Græci Illyrios eos existimasse dicuntur, qui supra Macedoniam & Thraciam a Chaonibus & Thesprotis ad fluvium Histrum sedes habuere: cuius provinciæ amplitudo esset ex Macedonia & Thraciæ montibus ad Pæonas usque & Ionium mare, quæ dierum quinque contineret iter: longitudinem triplo & amplius majorem fecere, quam Romani scriptores dimensi, sex millium stadiorum esse tradiderunt: latitudinem mille &

*Totius Illy-
rici descri-
ptio.*